

Die Urkunden Karls des Großen, 250

In nomine sancte et individue trinitatis, Karolus divina favente clemencia rex Francorum ac patricius Romanorum. Si religiosis presidentibus locis divinis cultibus mancipatis iuvamen nostri imperii prebemus, inde quanto humanis munimur auxiliis, tanto prolixius iuvari divinis minime titubamus. Quocirca omnium sancte ecclesie fidelium nostrorumque presentium scilicet ac futurorum comperiat universitas, qualiter nos propter nomen domini et eternam remunerationem atque interventu Rodigerii fidelis nostri recepimus Petrum sancte Concordiensis ecclesie episcopum sub nostri defensione et tutamine mundiburdi cum tota integritate ipsius episcopatus, oratoriis domibus castris villis servis et ancillis et omnibus rebus mobilibus et immobilibus, que dici et nominari possunt, ad prefatum Concordiensem episcopatum pertinentibus vel aspicientibus. Insuper concedimus iam dicto Petro episcopo sancte Concordiensis ecclesie eiusque successoribus parrochiam eum omnibus plebibus et decimationibus illorum locorum, que in infrascriptis clauduntur finibus vel eorum determinatione, ubi oritur fluvius qui dicitur Taliamentum et defluit in mare et sicut oritur fluvius Liquencie et defluit in mare. Donamus eciam omne fodrum et dacionem [atque] angariam et omnem publicam functionem predicto Petro episcopo suisque successoribus de toto ipso episcopatu, ut nullus det fodrum neque collectam vel aliquam dacionem nec ipse nec suus colonus nec aliqui in pertinentiis ipsius episcopatus morantes vel laborantes. Precipimus quoque, ut nullus nostrorum fidelium veniens ac regrediens aut missi discurrentes in ipso episcopatu aut eius pertinentiis mansionaticum faciant aut aliquam dacionem exigant, sed omnia sint in potestate Petri sancte Concordiensis ecclesie episcopi suorumque successorum ei hac nostra auctoritate suffultus libere et secure disponat cuncta sibi a nobis subiecta. Precipientes itaque iubemus, ut nullus dux episcopus marchio comes vicecomes sculdascius gastaldius decanus aut aliqua regni nostri magna vel parva persona iam dictum Petrum sancte Concordiensis ecclesie episcopum suosque successores inquietare vel molestare audeat vel de ipso episcopatu aliquid exquirere, sed ipse sepe iam dictus episcopus sui que successores pacifice et quiete teneant omni inquietudine remota. Si quis igitur temerario ausu hanc nostram auctoritatem infringere temptaverit aut eorum quippiam que prohibemus agere, sciat se compositurum auri optimi libras C, medietatem camere nostre et medietatem multociens iam dicto Petro sancte Concordiensis ecclesie episcopo suisque successoribus. Quod ut verius credatur et diligencius ab omnibus observetur, sigilli nostri impressione subter insigniri iussimus manu propria roborantes.

Signum domni Karoli gloriosissimi regis.

Ercambaldus cancellarius advicem Sigmari episcopi et archicancellari recognovit.

Data pridie nonas aprilis anno XXVI regni eius; actum Franconofurd anno dominice incarnationis DCCCII, indictione V; feliciter amen.